

## Die Urkunden Lothars II., 35

In nomine omnipotentis dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Lotharius divina  
providente clementia rex. Si locis ecclesiasticis quipiam muneris conferimus,  
et presidis munificentiam exequimur et divinum per hoc nobis favorem facilius  
conciliandum confidimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sancte dei ecclesie  
et nostris presentibus scilicet et futuris, quia divino tacti amore contulimus ad monasterium,  
in quo sancti Willibrordi corpus constat esse humatum, quandam capellam nostre  
proprietas cum omnibus ad se pertinentiis, quam Herengaudus presbiter atque capellanus  
noster actenus ex nostra munificentia in pago Miginense in villa cuius vocabulum est  
Crouia in beneficio habuit, nec non et vineas, quas ex iure eiusdem capelle Richuwinus  
comes ex nostra largitione in beneficium habuisse dinoscitur. Ac per hoc nostre libuit  
celsitudini, memoratam munificentie nostre liberalitatem regali auctoritate firmare et  
imperiali sanctione sollempniter roborare. Proinde hos nostre maiestatis apices fieri  
decrevimus, per quos iubemus atque sanccimus, ut memorata capella cum omnibus ad se  
iure et legaliter pertinentibus et mancipiis abhinc in futurum sub iure et dominatione iam  
dicti monasterii consistat, et quicquid nostris vel publicis obsequiis impendere debuit  
actenus, pro eterna remuneratione ad ius et profectum eiusdem monasterii devote persolvat,  
quatinus fabrice ceterisque eius emolumentis deserviat et nobis eiusdem beati confessoris  
Christi Willibrordi gloriosis interventionibus divina propiciatio gloriosius cumuletur. Et ut  
hec nostre largitionis auctoritas nostris successorumque nostrorum temporibus inviolabilem  
et inconvulsam optineat firmitatem, manu propria nostra eam subter firmavimus et anuli  
nostril impressione assignari iussimus.